

Bantzschmans vater ingesigil gehalten hat, nemlich ubir vnsir wese uf der Aldenburg, das om vnd syner sampnunge sulchs an den ezinsen, die wir om von der wisen geben, vnschedelich sin sal. Zeu yrkunde vorsigilt mit Hans Bantzschmans vater seligen insigil vmbe darbunge eygens sigils (vgl. No. 258) am dinstage nach Bartholomaei apostoli anno domini ꝛc. im eynvndesechezigen iare.

Nach dem Registrum copiarum fol. 235<sup>b</sup> im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden.

No. 262. 1461. 20. Sept.

*Beschlüsse des Capitels der vereinigten Augustiner-Chorherrenstifte.*

In nomine sanctae et individuae trinitatis patris et filii et spiritus sancti amen. Anno gratiae millesimo quadringentesimo sexagesimo primo die vero vicesima mensis Septembris pro monasticae disciplinae salubriori incremento ad monasterium sancti Thomae apostoli in opido Lypez Merseburgensis diocesis simul convenerunt praelati canonicorum regularium ordinis sancti Augustini subscripti monasteriorum nominandorum, praepositi Johannes beati Thomae in Lypez praesidens, Johannes beatae Affrae in Misna visitator, Gerhardus beati Petri Montis sereni, Ottho beatae Mariae prope Aldenburg, Johannes prope Goflariam sancti Georgii, Henningus prope Halberstad sancti Johannis evangelistae, Herwicus prope Scheningen sancti Laurentii, Vdalricus in Kaldinborn sancti Johannis ibidemque infra scripta unanimi concordique consensu sunt decreta et ordinata. Primo post accuratam ruminationem litterarum unionis et fraternitatis monasteriorum praedictorum repertum est, quod fraternali assistentia se invicem in adversis obligaverant, uni monasterio in adversitate reliqua post primam sententiam diffinitivam obtentam velle amorosa contributione subvenire et huiusmodi caritativa exhibitio non debeat sopiri nec ullo modo exterminari, sed potius latiori modo ampliari, tali videlicet sub forma, quatenus monasterium quodcumque in antea ratione religionis canonicalis fuerit instigatum, ut strictiora aut in habitu aliena assumat, quod huiusmodi molestationem quantocius praesidenti insinuet, qui capituli sub expressis loco et tempore competentibus praelatos convocet, ubi contributionem iuxta cuiuslibet monasterii facultatem exigat realiter colligendo monasterioque laedendo pro defensione sui amministrando. Item placuit et conclusum fuit, quatenus contributio praelatorum pariori lance seu statera ponderaretur monasteriaque copiosius provisa abundantius etiam in contributione se exhiberent tres videlicet Rennenses singulis annis porrigendo, cetera vero duas expendere minime recusarent, super quibus unusquisque praelatus suo cum capitulo interloquium affectavit, capitulum generale itidem annuit et favit, unde pro istis duabus variandis et meliori modo ordinandis quilibet praelatus sigillum suum apportare ad futurum capitulum se obligavit. Praeterea pro anno futuro dominus Johannes praepositus Lypezensis praesidens et dominus Johannes praepositus Misnensis visitator, cui frater Johannes Falkinhan professus canonicus sancti Thomae in Lypez scriba capituli in collegam extat deputatus, qui officium visitationis dominica Quasimodogeniti proxime affutura incipiant